



# Dissertatio medica inauguralis de lympha

<https://hdl.handle.net/1874/345146>

16.

DISSERTATIO MEDICA  
INAUGURALIS

DE  
**L Y M P H A,**

*QUAM*  
PRÆSIDE DEO TER OPT. MAX.

*Auctoritate Magnifici D. Rectoris,*

**JACOBI VALLAN,**

M. D. Praxeos & Institut. Med. Professoris Ordinarii,  
NEC NON

*Amplissimi Senatus Academicī Consensu, Nobilissimaque  
Facultatis MEDICÆ Decreto,*

PROGRADU DOCTORATUS,  
Summisque in MEDICINA Honoribus & Privilegiis  
ritè ac legitimè consequendis,

*JOSEPHUS HALSEY, ANGLUS.*

*Eruditorum examini subjicit  
Ad diem 11. Junii horā locōque solitū.*



TRAJECTI ad RHENUM,

Ex Officina FRANCISCI HALMA, Academiæ  
Typographi, clc Ioc xci.

*VIRIS Nobilissimis,*

D. D. HUGONI BOSCAWEN Armig.  
in quamplurimis Senatus Anglici (ut  
in hoc præsenti) conventibus, Patriæ  
libertatis defensori strenuissimo: Sere-  
nissimo Principi GULIELMO III.  
D. G. *Ang. Scot. Franc. & Hibern.* Regi,  
e Secretioribus Confiliariis.

D. D. ARTHURI FORTESCUE ,  
Armig. non minus ob proprias virtutes  
quam ob stirpem proavorum insignium  
nobilissimam honorando.

Mecænatibus suis honoratissimis

*Hæc Studiorum suorum specimina , grato  
ac devoto animo , una cum se , humili-  
lime offert*

JOSEPHUS HALSEY.

DISSERTATIO MEDICA  
INAUGURALIS  
DE  
LYMPHA.

§. I.



Nter omnia hujus seculi inventa, in quibus tempora nostra satis fuere fœcunda, nullum est (exceptâ sanguinis circulatione) majoris momenti quam istud *Lympha*. Cujus inventio non unico viro tribuenda, sed plures in locis diversis (nec tempore longe distanti) eam invenerunt: quasi ejus inventio singulari fatorum (si ita loqui liceat) decre-

to, huic seculo fuerit destinata. Nec opere pretium videtur ut de ejus primo inventore verba faciamus, num hujus laus *Thome Bartholino*, vel *Olae Rudbeck*, vel nostratri *Folivio* debeatur (licet pro certo habeo, *Folivium* primum esse inventorem; præmatura vero mors eum impeditivit, ne detectionem ejus publici juris faceret, testibus *Nobilissimo Boyle*, & viris *Clarissimis Glissonio & Charletono*) quidni dicamus plures circa idem tempus eam detexisse, quando ejus detectio a supremo numine fuit decreta. Quicunque vero gloriam hujus detectionis sibi vendicat, certum est hanc detectionem, magnam & insignem, non solum economiae animali, sed & morborum pathologie, lucem præstítisse. Et quoniam haec Academia specimen aliquod inaugurale in publicum dare postulat; dissertationis meæ subjectum *Lympham* habeo.

I I.

*Lympha* est humor e lympido albicans, a sanguine arterioso per colatoria, (vel si mavis glandulas) huic peculiariter de-

A 2

stinata,

## 4. DISSERTATIO MEDICA

stinata , secretus ; qui per vasa Lymphatica dicta , a corporis circumferentia , partim ad centrum in saccum chyliferum , partim in ductum chyliferum ac in venas majores , defertur.

### I I I.

Vasa Lympham referentia , sunt pellucida , tenuia , ac teretia , valvulis a circumferentia ad centrum hiantibus ubique plena ; quæ ( eodem more ac hederæ arbores ambiunt ) venas ubique per totum corpus amplectuntur : quæ in cane , hora una vel altera post pastum dissecto , supra venas majores nudis oculis sunt conspicua ; nec non in superficie omnium viscerum , præcipue vero lienis in aquam tepidam injecti ; quod viscus ( non injucuudo spectaculo ) retis instar circumambientia nullo negotio demonstrantur , nec solum in abdominis & thoracis visceribus hæc vascula reperiuntur , sed & ubique in corporis partibus musculosis , ac nullus dubito ullam dari corporis partem venis & arteriis donatam , lymphaticis destitutam , licet propter tenuitatem oculos nostros fugiant . De structurâ horum vasculorum , cum ob tenuitatem cultrum anatomicum fugiant nihil certi statuendum est , licet probabile mihi videtur , ea ( ut omnes alios corporis canales v. g. œsophagum , venas , arterias &c. ) quatuor constare tunicis .

### I V.

Secretio Lymphæ a sanguine fit eodem modo ut omnes alii humores ab eo separantur : scilicet ope trium vel plurium vasculorum simul ( mediante colatorio quodam ) unitorum , ubique enim in toto corporis habitu ubi venæ & arteriæ capillares uniuntur ( eas enim uniri necessario docet sanguinis circulatio ) tertium quoddam vas , lymphaticum sc. eiscum se adjungit , hæc unio , ut dixi , non immediate fit , sed mediante quodam colatorio , vel simplici glaudulâ vesiculosâ , quod facile assequi poterit quicunque legerit acuratissimi Malpighii tractatum nuper editum de glandularum conglobatarum structurâ , ubi asserit omnem secretionem fieri in vesiculis per has glaudulas dispersis . Inventionem hujus glandularum structuræ , fore magni momenti in medicina , sc. in indagandis morborum rationibus , minime dubito ; ut taceam pericardium , quod inter glandulas recenset supra laudatus

## I N A U G U R A L I S.

laudatus *Malpighius*, quid dicendum videtur de *membrana pituitaria*, & de *membranis* circa corporis *articulationes* inveniendis: consideratione forte dignis ab his qui de *catharribus*, *Arithride* vel *Rheumatismo* aliquid acutius scribere velint; sed ratio mea non finit ut in his fusius hæream.

### V.

Ut ad rem redeam. *Sanguis* ad corporis circumferentiam per arterias delatus, non in musculorum interstitia deponitur, & suetione (nescio quali) a venarum ostiis resumitur; sed arteriæ capillares sanguinem in vesiculam quandam poris diversis donatam deponit: supposito jam quod *sanguis arteriosus* e diversis particulis quæ diversam habent structuram constat, & quod pori vesicularum diversimode configurantur, hujus structuræ particulas per hosce poros, aliis structuræ per alios poros transire necesse est; pori vero quidam ad venarum ostiola, alii ad lymphaticorum ostiola & alii qui sunt his minores ad habitus corporis interstitia patent: cum vero pori qui ad venas patent non eandem habent figuram ac illi qui ad lymphatica patent, sequitur venas & lymphæductus non eundem liquorem posse continere, quandoquidem vero pori qui ad venas ducunt patentiores sunt illis qui ducunt ad lymphæductus, hinc fit quod multa *lympha* in venis continetur, nullus vero *sanguis* rubicundus (nisi in statu præternaturali) in lymphaticis.

### V I.

Hæ vesiculæ, quarum ope *lympha* a sanguine secernitur; omnino glandularum munere funguntur, licet fibris carneis, quibus *glandulae conglobatae* donantur, careant; harum enim fibra- rum defectum supplent fibrae musculorum vel membranarum quæ eas circumambunt; ac quidni eas glandularum nomine dignemur, cum ab aliis glandulis vix differant nisi quod sunt iis simpliciores: glandulæ vero conglobatae vulgo dictæ sunt vere *conglomeratae* sc. ex pluribus glandulis constantes; mecum assentiet cui legere placeat supra laudatum tractatum.

### V I I.

Ex iisdem hisce glandulis (iis saltem in corporis superficie sitis) *sudorem* provenire vix veritati dissonum videtur; *sudor* enim licet sit humor *lympidus*, substantia tamen constat omnino a

lymphà diversa: cum hic particulis salinis abundet, illa vero paucissimis donatur; cum ergo pori qui ad lymphæ ductus ducunt paucissimas particulas salinas admittunt, necesse habet ut alia quâpiam viâ eliminentur: quædam in corporis partes internas, cum sanguine, per venas relabuntur; quædam per poros cutaneosextrorsum dehiscentes foras propelluntur; ex his poris occlusis variis morbi oriuntur quorum specimen infra dabimus.

## VIII.

Si quis roget cui usui inserviunt glandulae conglobatae in abdome, thorace inguinibus &c. cum Lympha non harum ope (ut hactenus increbuit opinio) a sanguine seperatur? respondeo harum usum esse Lympham ulterius depurare, & ope spirituum animalium eam reficere (insignem enim habent usum tam copiosi nervi glandulis his donati) antequam in massam sanguineam revehatur: cui usui postea dicemus. Mihi fidem dabit qui perpendit, non solum ex his glandulis Lymphatica tendere ad commune chyli & Lympba receptaculum; sed etiam Lymphatica primi generis, sc. quæ Lympham hisce glandulis a corporis circumferentiâ adserunt, ad has glandulas tendere: ut detexit *Malpighius* in tractatu prædicto. Idem quod accidit in pancreate *Astellii* seu glandulâ magnâ mesenteris; huic enim glandulæ chylus ab intestinis, ope venarum lactearum primi generis, adfertur, qui in hac glandula depuratus, per venas lacteas secundi generis dictas, ad receptaculum defertur. Ac ut glandulæ quæ chylum a fœcibus seperant sunt pene occultæ, ac vix nisi ratiocinio deteguntur, non sunt minus occultæ hæ glandulæ quarum ope Lympha a sanguine seperatur: nulla tamen fieri potest dubitatio de harum existentia, si perpendatur certam dari communicationem inter Lymphatica ac vasorum sanguiferorum ostiola. Quod ultra omne dubium posuit experimentum acuratissimi D. *Nuckii* in *defensione ductuum aquosorum* recensitum (p. 85.) qui arteriam splenicam cum inflaret, inflata apparuere vasa Lymphatica tienis superficiem perreptantia; idem docet de arteria venave pulmonali inflatâ, ut ut in aliis corporis partibus idem posse demonstrari affirmat. Hanc communicationem non posse fieri absque ope colatorii docet eventus, sc. diversitas

I N A U G U R A L I S. 9

sitas humorum in venis & Lymphaticis contentorum, ut supra latius exposuimus.

I X.

Prædicta satis funto de Lymphæ naturâ, & modo quo a sanguine secernitur, sequitur ut de ejus usu aliquid dicamus, tam in œconomia animali, quam in morbis dignoscendis & indicationibus curativis inde petendis.

X.

In œconomia animali Lympham majoris esse necessitatis quam vulgo creditur, facile mihi concedetur, si probare possim omne corporis incrementum & nutritionem ab hoc humore (ut a causâ materiali) fieri. Quam hypothesin (licet non certam) possibilem, immo maxime probabilem reddere conabor. Quod ut fiat, necesse est ut aliquid de nutritione corporum inanimatum, præcipue vegetabilium breviter præmittam.

X I.

*Helmontius* qui, non solum verbis, sed & experimentis innimeris, corporum principia indagare, cum summâ industriâ, nec minori judicio, conatus est; forte nil verius ex omnibus suis experimentis deduxit, quam quod omnia corpora ab aquâ insipidâ ortum & incrementum habent.

Primo quod attinet ad corpora sensationis & vegetationis experientia: ea tantum esse varias aquæ coagulationes, quæ varias formas accipiunt a diversis principiis seminalibus, probat experimentum Helmontianum, quo omne corpus (pura) lapidem, silicem, gemmam, arenam, marcasitam &c. transmutat in aquam insipidam. Qui plura de his scire cupiat legat *Helmontii* tractatum de elementis.

X I I.

*Vegetabilium* vero ortum ex aquâ esse, negotio multo faciliiori, & experimentis cuivis obviis demonstratur. Ut taceam puerorum & muliercularum experimenta, qui lauri ramuscum, menthe vel pulegii frustulum aquæ immittentes, subinde radices acquirunt, crescunt, & augmentur, nulla alia materia nisi aqua pura iis adjecta. Experimenta a philosophis acutissimis, & naturæ indagatoribus indefessis facta, si debite trutinentur, nullum

lum dubitanti locum admittunt. v. g. si tecitemus *Helmontii* experimentum; qui in terra lib. cc. in fornace exsiccatæ, & in vase fictile immissæ, implantavit *salicem*, quæ, sola additione aquæ puræ, crevit ultra lib. clx. exsiccata vero ut prius terra nihil ponderis ejus amisit. Similia experimenta habent & alii naturæ indagatores; inter quos jure primatum tenet *nobilissimus nostras Boyle*; qui cum mitteret *semina cucumberum & melonum* in terram modo supradicto exsiccatam, & sola aquâ irrigatam; plantæ ex his ortæ ad magnitudinem satis notabilem creverunt, terræ pondere parum diminuto. Hinc necessario sequitur terram esse solam *matricem* in quâ generantur & foventur vegetabilia, minime vero substantiam ejus communicari eorum nutritioni.

## X I I I.

Ex his quæ de *vegetabilium nutritione* diximus, facile est concipere quod nulla corpora nutriuntur, nisi a quodam fluido eorum poros permeare valente: & si indagare velimus a qua substantia *corpora animata* immediate nutritionem accipiunt, & augentur, eam esse a *Lymphâ* (modo supra dicto a sanguine separatâ) minime dubito. Ea enim de omnibus corporis nostri humoribus cum proxime, aquæ puræ naturam accedit, & præ aliis fluida sit, maxime idonea videtur ad eas particulæ, quæ per transpirationem insensibilem quotidie amittuntur regenerandas; & substantiam addere corporibus nondum magnitudinem naturalem adeptis. *Lympham* esse corporis nostri *nutrimentum*, multa corporis animati phainomena confirmant.

## X I V.

1. Corporis nostri *textura*, ubique enim poris gaudet minutissimis, *Lymphæ* particulis convenientibus, nullibi vero in toto corpore sanguis reperitur (nisi vasorum rupturâ) extravasatus; quod abunde docent *vesicatoria*, *setacea*, *fontanelæ*; & morbi qui a *sanguine extravasato* oriuntur; quod non fieret si sanguis quotidie extravasatus reperiretur, gratia corporis nostri nutriendi. Hoc ultra omne dubium confirmatur, si trutinetur viri celeberrimi *D. Loweri* Experimentum, in libro ejus de corde (p. m. 82.) recensitum. Qui cum in cane venis jugularibus ligaturam injecisset, omnes partes supra ligaturam mire intumescebant,

# I N A U G U R A L I S.

bant; cane post duos dies mortuo, & cute a partibus tumefactis separata, nullum vestigium aut color sanguinis observatur, sed musculi omnes & glandula sero Lympido distenti apparebant. Certo indicio nullos dari poros in venis vel arteriis, qui sanguini transitum præbent, & quod Lympa particulis gaudet, corporis totius poris convenientibus. Hinc etiam pro certo habeo, omnino impossibilem esse corpus nostrum a *sanguine rubicundo* nutriti; si enim nullus transitus ei datur in interstitia muscularum & glandularum (ut abunde probat hoc experimentum), nullo modo possit substantiam suam eorum nutritioni communicare.

## X V.

2. *Vulnerum cicatrificatio* probat nutritionem fieri a Lympâ, non a sanguine rulicundo; nullus enim sanguis inter *vulnerum labia* extravasatus conspicitur (nisi vulnere recente) Lympa vero satis copiosa reperitur; ergo cicatrix vulneri obducta, non per sanguinis substantiam fit, sed per Lympham coagulatam & in substantiam carneam conversam.

## X VI.

3. Nihil magis hanc nostram hypothesin confirmat quam *glandula thymus*, quæ multo major est in animalibus nondum magnitudinem suam adeptis, quam in iis quæ magnitudinem naturalem obtinent; immo in vetustis pene totus absuntur. Unde pro certo habeo hujus glandulæ usum non alium esse, quam istius humoris a quo corpus augmentum sumit, præparatio ac depuratio. Vasa sanguinea quæ in hac glandulâ terminantur, sunt nimis exilia, ut putemus totam massam sanguineam hic depurari. Licet nervi satis coposi in hac glandula terminantur, non est quod statuamus succum nerveum hic depurari, cum nullum talem succum in corpore detegere (nisi ratiocinio) adhuc cuiquam contigit. Cum vero nulla alia vasa hic reperiuntur nisi Lymphatica, necessario statuendum est hujus glandulæ officium circa Lympham versari; eam sc. depurare & præparare, quo melius corpori animato incrementum dare inserviat. Corpore vero justam magnitudinem adepto, hæc glandula (non ulterius œconomiæ animali necessaria) gradatim absuntur, donec tandem fere annihilatur. Glandulæ vero congregatæ per cor-

B

pus

pus universum dispersæ, satis sunt eam Lympham depurare, quæ particulas, quotidie per traspirationem insensibilem amissas, redintegrande valeant. Adde quod *sanguis*, in animalibus maturitatem adeptis, magis concoctus, & melius depuratus, Lympha ab eâ separata non tanta depuratione opus habet, ac in animalibus junioribus, ubi Lympha modo a sanguine separata, particulis heterogeneis magis scatet.

## X V I I.

4. Ultimo (ut non diutius hac in re hæream) nervi insignes, qui *thymo* & *glandulis conglobatis* impertiuntur, arguant Lympham nobiliorem habere usum, quam soli sanguini diluendo. Lympha enim est tantum principium materiale, a quo corpus animatum nutritur, & mere passiva est, communicando suam substantiam: principium vero activum nutritionis sunt *Spiritus animales* per nervos delati, qui Lympham actuantes, in substantiam corporis nostri convertunt.

## X V I I I.

Lympha vero *superflua*, & ad corpus nutriendum inepta, per Lymphatica primi generis ad glandulas conglobatas ulteriori depurationi, & inde in massam sanguineam ulteriori concoctioni refertur (in sanguine enim omnes humores corporis nostri tam nutritii quam fermentacei (& si dentur alii usui inferentes) præparantur & exaltantur) in sanguinem & alias humores convertitur. Quod ipsis verbis affirmavit Hippocrates. (lib. de alimentis §. VIII. t. 4.) γάλα καὶ αἷμα τροφῆς φλεγμόνες. q. d. humor nutritius superfluus convertitur in sanguinem, in mulieribus vero in sanguinem & lac, quod an verum sit de *lacte* dubitari potest, minime vero de *sanguine*.

## X I X.

Sed tempus monet ut festinemus ad lymphæ usum in *morbis* dignoscendis, & indicationibus inde potendis. Cum omnia studia theoretica, sunt quoad præxin medicam inutilia, quæ non conducunt ad indicationes curativas indagandas. Ni vero nugas & res nullius momenti scripsisse videar, lympham majoris esse momenti quoad morborum *indications*, quam vulgo creditur, probare conabor; diversorum morborum rationem formalem, in lym-

I N A U G U R A L I S. II

lympa & lymphaticis vitiatis existentem, explicando.

Hic humor cum in cœconomia animali tam insignem habeat usum (quod supra satis probatum) quounque modo vitiatus, aut glandulae vel vascula quorum ope a sanguine seperatur & defertur obstructæ, necessario morbos non leves dant. Hic mihi animus non est de omnibus morbis hinc ortum habentibus dicere; sed tantum de præcipuis: quibus cognitis, facile aliorum morborum, qui a lympha pendent cognitione, hauriatur.

X X.

Quando quantitate lympha peccat, facile tota massa sanguinea (quam ingreditur) pervertitur, & nimis diluta redditur: hinc vasa sanguifera in tono suo laxata, eorum tunicæ nimis laxæ & porosæ factæ, lymphæ (quæ omnium corporis nostri partium particulis constat maxime subtilibus, exceptis spiritus animalibus) porta aperitur, quæ datæ portæ facile a sanguine (quæ particulis constat crassioribus) seperatur, & in corporis habitum vel cava-  
tates ruit. Quæ in habitu corporis extravasata producit *anasarcam*, in abdome vero *hydropem*. ex prædictis manifeste patet quibus indicationibus in hydrope & anasarcâ curanda satisfaciendum. v.g. primo per *hydrogoga diuretica* vel *diaphoretica* lympha extravasata educatur: deinde *languis* & *viscera* corroborantur, & meatus vasorum relaxati adstringantur; hisce ultimis indicationibus plerumque satisfit iisdem medicamentis. v.g. *alcalicis*, *anferis*, & *amaricantibus*, quæ simul corroborant & adstringunt. Hæc satis sunt de lympha in quantitate peccante; ut taceam *Hydrocephalon*, *Hydrocelen* &c. cum in his non universum corpus, sed partes quædam particulares afficiuntur.

X X I.

Lympha vero multis modis qualitate peccat: vel plane *vapida* est ut in *cachexia*; vel *salina* *acida* ut in *scorbuto*; vel *crudo acida* ut *infebris intermittentibus*. Quoniam nemo adhuc rationem formalem *accessionis* & *remissionis febrium intermittentium* (mihi saltem) probabilem descripsit; non pigebit ut hypothesin forte ulterius considerari dignam proponam: supponendo rationem formalem hujusmodi febrium, in *lymphâ acido crudâ* confi-  
stere.

## X X I I.

Suppono igitur (ut supra satis probatum credo) sanguinem, in singulis suis circuitibus, lympham in corporis habitum deponere que partim in corpore nutriendo absumitur, partim per corporis poros insensibili transpiratione deponitur, partim per vas lymphatica in massam sanguineam refertur. hi lymphæ circuitus, nisi ea qualitate vitiosa peccet continuo & placide peraguntur. Lymphâ vero qualitate crudo acida peccante, particulæ ejus quoad earum figuram mutatæ, poros quos ante permeabant, amplius pertransire non valent: hinc necessario lympha (licet non in tantâ quantitate ut in anasarcâ) in corporis habitu stagnat & propter stagnationem magis magisque aescit: hinc facile est concipere, unde in his febribus, omnes fere corporis musculi, frigore & rigore vexati, tremore afficiuntur. Excitantur hæc sumptomata a lymphâ acriore factâ fibras musculares pungente & vellicante; eodem plane modo ac si quis aceti, vel alicujus liquoris acidi haustum bibat, statim oritur dentium stridor, & partium extremarum (sympathia affectarum) tremores.

## X X I I I.

Quoad vero febrium intermittentium accessiones & remissiones, eas modo sequenti fieri mini probabile videtur, sc. quando lympha extravasata ad eam aciditatis gradum pervenerit, ut fibræ musculares non diutius ejus vellicationem ferre valeant: omnes partes (rigore, & quasi frigore affectæ) contremiscunt: donec tandem ab hac contremiscentiâ, poris ductuum lymphaticorum apertis, lympha per ductus suos in massam sanguineam revehitur; quam ingressa, subito oritur fermentatio in sanguine. Minime enim fieri potest ut quivis humor acidus massam sanguineam ingrediatur, nullâ fermentatione inde oriente; cum sanguis particulis scateat alcalicis, quæ acidis intermixta fermentationem necessario excitant, ab hac fermentatione sanguis summe incalescens, totum corpus modo frigore & rigore obfessum, nunc calore non minus molesto obruitur: donec tandem acidum ab alcali superatum, fermentatio cessat, & materia sanguini inimica ex habitu corporis per diaforesin expellitur: quo facto, intermissio sequitur, & æger omnia munia hominis perfecte sani subire potest.

Quia

Quia vero quedam particulae acidæ in corporis habitu remanentes, aut humores fermentacei in primis viis peccantes, v. g. in ventriculo vel intestino duodeno, lympha priorem aciditatem affecuta, novus oritur *paroxismus*.

## X X I V.

In curatione febris intermittentis duobus indicantibus satisfiendum, v. g. Primo *ventriculus humorum fæburræ* liberetur, quod fit *emetis*; vel humores fermentacei in primis viis ministrantes corrigantur hoc fit *alcalicis & amaricantibus*. 2. Pori ductuum lymphaticorum recludantur ut lympha in corporis habitu non stagnet; hoc fit *sudoriferis, topicis externis, & ligaturis* partium extremarum: a ligaturis dolorificis, fibris partium extremerum motibus quasi *convulsivis* affectis, pori recluduntur, & transitus lymphæ stagnanti conceditur: hinc paroxismus sæpem præcavetur. Lympa enim in massam sanguineam rechitetur, priusquam ad eam aciditatis gradum pervenerit, ut fermentationem febrilem in sanguine exciteret.

## X X V.

Quod de aliis morbis in Lympha vitiosa rationem formalem habentibus, dicendum restat, tantum leve eorum indicium dabo, cum meminerim me *dissertationem inauguralem* non libram scribere.

## X X VI.

In lue venerea Lympham præcipue peccare docent glandularum conglobatarum tumores, in inguinibus & axillis &c. ut ut *protuberantie* in brachiis, manibus, & cruribus se manifestantes; has enim protuberantias non alias esse opinor, quam glandulas, Lympham a sanguine separare destinatas, tumefactas.

Idem dicendum esse videtur de *scrofulis & strumis*: hinc facile responderetur iis qui rogant; an in scrophulis glandulæ novæ generantur? dico nullas glandulas e novo generari (ut hactenus opinio increbuit) sed Lympha acidior facta, & in glandulis vix sensibilibus stagnans, in substantiam quasi carneam convertitur. Hinc hæ glandulæ, vix prius conspicuae, molem satis notabilem acquirunt,

## X X V I T.

Multa adhuc de Lymphâ in plurimis aliis morbis vitiatâ dicere potuisse; sed (ut omittam quæ de *arthritis*, *catharrhis*, *scorbuto*, *Rheumatismo* &c. dicere decrevi) hac in re me satis fecisse putabo, si quæ hic scripsi, alicui (ingenio me præstanti) occasionem præbeant, hæc ulterius prosequendi.

Deus fxit, ut studia mea huc usque deducta, tandem finem habeant in sui gloriâ & proximi salute.

## COROLLARIA.

- I. *D*octrina de sanguinis circulatione ante Lymppha detectionem fuit imperfcta.
- II. *L*ympha est tantum chylus depuratus.
- III. *L*ympha non sit e sanguine, sed sanguis e lymphâ.
- IV. Tanta copia humorum non revehitur per venas quæ ex partatur per arterias: hoc vero non obtinet in trunco vena cava ascendente.
- V. Plures morbi in Lympha vitiata quam in quovis alio humore vitiato consistunt.
- VI. In plurimis febribus Lympha primario afficitur.
- VII. Lympha extravasata producit tumores simplices, sanguis vero tumores cum inflammatione.
- VIII. Arthritis e fermento acido, in vesiculis glandulosis, inter articulorum membranas latente, ortum habet.
- IX. Particula sanguinis rubicunda sunt alcalica, quæ ab acidis intermixtis fermentescunt.
- X. Paucissimi sunt morbi ipsum sanguinem rubicundum primario afficientes.
- XI. Sanguis rubicundus vitiatus difficillime ad pristinum statum reducitur faciliter vero Lympha; quia medicamenta prius agunt in Lympham quam in sanguinem.
- XII. Febres ubi sanguis primario afficitur sunt mites, curatu tamen difficillima: quales sunt hebetica confirmata.

F I N I S.